

nuam pulsare, & seculum præcantes calcare. Præparemus igitur nobis fortitudinem, assumamus nobis perfectum robur: ut inter errorum tenebras & confusionem, in noctis scientia Christi lumen appareat. Diesque nostre nubem habeat protegentem: ut his ducibus ad terram sanctam pervenire valeamus. Quid enim eruditione melius? quid suavius disciplina? quid dulcius Domino? Sit autem convivium Christi: lectio Christus: quies Christus: cogitatio Christus. Quæ enim potest esse vita sine scientia scripturarum: per quam etiam ipse Christus agnoscitur? Qui tibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam? Sapiens quoque nunquam solus est: habet secum omnes qui boni sunt & fuerunt: & animi liberum quocumque vult transfert: quod corpore non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo: nec unquam est minus solus, quam cum solus fuerit. Prima namque sapientia est, caruisse stultitia: sed stultitia caruisse non potest, nisi qui intellexerit illam. Sed vera quidem sapientia est, nuper factum se nosse: & ut sic loqui in carne iustorum imperfecta perfectio est. Parum tamen est scire quod nescitis: sed prudentis hominis est nosse mensuram suam: quam qui ignoraverit, & quanto ampliora quæserit, tantomagis ad inferiora collocabitur. Discamus igitur in terris: quorum nobis scientia perseveret in caelis.

De vigiliis.

DIGNUM est fratres aptumque profrus satisque conveniens, de sanctis vigiliis nunc dicere & profere sermonem: quando ipsa lucubratio exigitur a sollicitis. Nox ecce est caligo corporibus: non solum homines, sed etiam cunctos in somno detinet animantes: ut reformatis viribus per soporem, possint diuturnum sustinere laborem viventes. Bonus Deus qui ita prospexit, ita constituit, ut homo exiturus ad operationem suam usque ad vespertinum, haberet vicarium tempus, in quo à duris laboribus, & multa fatigatione requiescere præstitit.

Novimus autem multos hominum: ut aut maioribus suis placeant, aut sibi aliquid peculiariter profrant, noctis particulam ad aliquod opusculum segregare: id pro lucro ducere, quod furati de sopore suo operari poterint. A Salomone vero laudati & femina, quæ pennis & lanificium ad lucernam vigilanter exercet. Addidit etiam quod ex hoc laus viro ejus in portis & gloria magna nascatur. Quod si in carnalibus instrumentis: id est, victui & vestitui necessariis, qui vigilat non reprehenditur imo laudatur, & mirari me fateor esse aliquos, qui sacras vigilias tam spirituali opere fructuosas, orationibus, hymnis, lectionibusque fecundas, aut superfluas aestimant, aut otiosas, aut quod his deterius est, importunas.

Et quidem si sunt homines à nostra religione alieni qui ista sic sentiant, non est mirum. Quomodo enim prophanis religiosa placere possunt, quibus si placerent, nostri essent: quia sumus utique Christiani? Si vero nostri sunt quos vigiliarum salutifer actus offendit: ut nihil de his deterius suspicer: Aut pigri sunt, aut somnulosi, aut quod his est proximum, senes vel infirmi. Si pigri sunt, erubescant, quia illis insonant proverbium Salomonis: Vade ad fornicam & piger, & æmulare vias ejus. Si somnulosi sunt, expegiantur scriptura proclamante: O piger, quousque dormis? Quando autem de somno surges? paululum quidem dormis, modicum sedes, pusillum autem dormitas: pusillum vero complecteris manibus pectus. Si senex es, quis te compellit ut vigilas? quamquam & non compullus pro ætate tamen vigilas. Et si stare non potes, sed tuam cogitas impossibilitatem, non debes juvenes & valentes ad tuum revocare torporem: quos propter varias tentationes juventutis, seipso propensioribus macerare decet vigilis. Nam athletæ suis incitatoribus fortiores sunt: & tamen monet debilior, pugnat ille qui fortior est: Maxime quia & sancti corrunt, si fuerint negligentes: Et peccatores pristinum recipiunt, si sordes flebitibus laverint.

Hoc ideo dico, ut ne terreant descendentes, sed provocent ascendentes. Nihil tam facile, quam otiosum & dormientem de aliorum labore & vigiliis disputare. Si vero infirmus es membrum, quod facere potes, noli reprehendere: imo riga & tu secundum prophetam lachrymis stratum tuum, & dic: Sic memot fui tui super stratum meum. Injunge te

etiam vigilantibus, ut te suis precibus juvent: quo adjutus à Domino super lectum doloris tui canere possis: ut & tu quandoque merearis dicere: In matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus. Alioquin stultum & satis extraneum est: ut quia ipsi currere non valeamus, bene currentibus derogemus. Nam & si non possumus, debemus congratulari potentibus. Sicut enim de consensu malitiae participatur cum facientibus pœna, sic participatio gloriæ speranda est de consensu bonitatis. Alios enim effectus coronat: alios voluntas pia lenificat. Nec sane onerosum vel difficile videri debet, etiam delicatis corporibus in septimana duarum noctium, id est, sabbati atque dominicæ portionem aliquam Dei ministerio deputare. Ista enim quasi purificatio est dierum quinque vel noctium, quibus stupore carnali ingravescimus, ac mundanis actibus oscitamus.

Nec erubescat aliquis in bono studio sanctitatis, cum non erubescant improbi in perpetrando opere scditatis. Merito ergo scriptura in Proverbiis ingerit: Est confusio que dicit ad peccatum. In bono enim opere confundi peccatum est: sicut in malo faciendo non confundi pernicies est. Si sanctus es, ama vigilas, ut thesaurum tuum vigilando custodias, & ipse in sanctitate serveris. Si peccator es, magis cura, ut vigilando & orando purgeris: dum tuno pectore frequentius clames: Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo. Gustandum enim videtur, quia suavis est Dominus, sicut scriptum est. Qui ergo gustavit, intelligit & sentit, quantum pondus pectoris vigilando deponitur: quantum mentis stupor excutitur, quanta lux animam vigilantis & orantis illustrat: quæ gratia, quæ visitatio membra universa lenificat. Vigilando omnis timor excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur: criminum caput diabolus, gladio spiritus vulneratur.

Quid hac utilitate magis necessarium? quid istis lucris commodatius? quid hac dilectione suavius? quid hac felicitate beatius? teste etiam propheta qui in principio psalms suorum beatum virum describens, summam beatitudinem ejus in hoc versiculo collocavit: si in lege Dei meditatur die ac nocte. Bona est quidem diurna meditatio, sed efficacior est nocturna. Quia per diem necessitates obtrepunt, occupationes distrahunt mentem: sensum duplex cura dispergit. Nox autem secreta, nox quieta, opportuna se præbet orantibus, aptissimam vigilantibus: dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum in totum hominem divinis conspectibus sistit. Curandum est etiam ne nimietate cibi vel potus vigilantibus pectus oneretur: ne cruditates eructantes & crapulam, non solum ipsi nobis, sed etiam gratiæ spiritus indigni judicemus. Ergo tanquam divino functuri ministerio antè nos per abstinentiam parare debemus: ut ingravati expeditius vigilare possimus.

Cogitatio quoque mala pellatur, ne malè vigilantis oratio fiat, sicut legitur, in peccatum. Sunt enim & ex maligno vigilie, sicut in Proverbiis legitur: Ablatus est somnus ab oculis eorum: Non enim dormiunt, inquit, nisi male fecerint. Absint, absint ab hoc conventu tales vigilie: sit potius vigilantibus pectus clausum diabolo, apertum Christo: ut quem labiis sonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles nostræ vigilie: tunc pœnetatio salutaria: si competenti diligentia & devotione sincera, ministerium nostrum divinis obtutibus offeratur.

De vestibus.

FUSCA tunica vestitiis, vilis tunica contemptum mundi probet: Ita duntaxat ne animus tuus tumeat: ne habitus sermoque dissentiant. Nam vestis ipsa vilis & pulla, animi tacentis indicium est. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Tales namque vestes habeas, non quibus vestita corpora nudentur, quæ nec sint mundæ, nec fordidæ & nulla diversitate notabiles: quia nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano. Sed ne hoc ipsum iactantiam tibi generet, quod facili iactantiam contempserit: ne cogitatio tacita subrepat: ut quia forsitan inauratis vestibus placere desisti, placere coneris in sordibus. Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus.

At nunc plerisque videas armaria stipare vestibus: tunicas mutare quotidie, & tamen tunicas non posse superare.

Et

qui te religiosior est unum exierit vestimentum, & plenis arcibus pannos trahit: inficiuntur membrana colore purpureo: aurum liquefit in literas: gemmis codices vestiuntur: & nudus ante fores eorum Christi moritur. Pulla enim tunica minus cum humi jacerit sordidatur. Sit cingulum laneum cum tota simplicitate purissimum: & quod possit adstringere vestimenta magis quam scindere. Idem semper habitus, neglecta mundicies, inculta vestis, & cultus ipse sine cultu: plumarum quoque mollicies juvenilia membra non foveat.

De laboribus manuum.

NE vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si peccati infederint, dominabuntur tui: & deducunt te ad delictum maximum. Facito aliquid operis: ut semper te diabolus inveniatur occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis ne quem gravarent: & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fuscillam texe junco, vel canistrum lentis plectis viminibus: scriariam humus: areolæ æquo limite dividantur: in quibus cum olerum iactata fuerint semina, vel piante posite per ordinem, aquæ ducantur irriguæ. Inferantur infructuosæ arbores, vel gemmis, vel fuscillis, ut parvo post tempore dulcicia munda decerpas. Apum fabricæ alvearia, ad quos te mittunt Salomonis proverbium: & monasterium ordinem, ac regiam disciplinam, in parvis dilige corporibus.

Texantur & lina pro capiendis piscibus. Scribantur & libri: ut & manus operetur cibum, & anima lectione saturatur. Nam in desideris est omnium otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent: ut nullum absque labore atque opere suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem. Ne vagentur perniciosis cogitationibus mens, & ad instar fornicantium Jerusalem, omni transeunti divaricet pedes suos. Nec idcirco tibi ab opere cessandum est: quia Deo propitio nulla re indiges. Sed ideo cum omnibus laborandum est: ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitium. Simpliciter loquar, quamvis omnem censum tuum in pauperibus distribuere: nihil apud Christum erit pretiosius, quam quod manibus tuis ipse confeceris. Sudore enim & labore nimio ad ubertatem fructuum pervenimus.

De laude religionis, & de inductione ad eam.

EXTRUIS quidem monasteria, & multos à te per insulas Dalmatiæ sanctorum numerus sustentatur? Sed melius faceres, si & ipse sanctus inter sanctos viveres. Difficile imò impossibile est: ut & presentibus quis & æternis fruatur bonis: ut & hic ventrem, ibi mentem impleat, & de deliciis transeat ad delicias: ut in utroque saeculo primus sit: & in caelo & in terra gloriosus appareat.

Quod autem austerius eos melius facere qui utuntur rebus suis & paulatim fructus possessionum pauperibus dividant: quam illos qui possessionibus venditis semel omnia largiantur: non à me, sed à Domino respondeatur: Si vis perfectus esse, & cetera. Nec à suo studio monachi retrahendi sunt lingua viperæ, morsu saevissimo: quibus argumentaris & dicitis: Si omnes se clauserint & fugerint in solitudinem, quis celebrabit Ecclesiis, quis saeculares homines lucrifaciet, quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, si omnes tecum facti fuerint: sapiens esse quis poterit: Si virgines omnes fuerint, nuptiæ non erunt, interibit genus humanum.

Sed rara est virtus, nec à pluribus appetitur. Et utinam hoc omnes essent quod pauci sunt. De quibus dicitur: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Ideo licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine & cassis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater ostendat: licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, fuscis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudeliter. Gladium tenet hostis ut me perimat: & ego de matris lachrymis cogitabo? Delicatus es frater charissime: si hic vis gaudere cum saeculo, & postea regnare cum Christo. Multa nos facere cogit affectus. Et dum propinquitatem respicimus corporum: & corporis & animæ offendimus creatorem. Qui amat patrem, aut matrem super Christum, non est Deo dignus.

Tom. V.

gnus. Unde discipulus ad sepulcrum patris ire desiderans, saluatoris prohibetur imperio. Quanti monachorum dum patris matrisque miserentur, suas animas perdidit? Super patre & matre polli non licet: quanto magis super fratre, fororibus, conlobrinis, familia, servulis? Genus regale & sacerdotale sumus: illum attendamus patrem, qui nunquam moritur: & qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret.

Sola causa pietatis est, ubi nulla carnis notitia est. Honora patrem tuum, si te à vero patre non separat. Tandiu scito carnis copulam, quandiu ille suum novit creatorem. Alioquin David protinus tibi canet: Obliviscere populum tuum & domum patris tui: & concupiscent rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Grande præmium est parentis oblit: quia concupiscent rex decorem tuum. Solent etenim miseri parentes, & non plenè fidei Christiani, deformes & aliquo membro debiles filios, quia dignos matrimonio non inveniunt, religioni tradere. Sed si tu perfectus esse desideras, exi cum Abraham de patria tua & de cognatione tua: & perge quo nescis. Et si habes substantiam, vende, & da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es: nudus Christum nudum sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. Magis enim quilibet labor suscipitur, si ante oculos præponatur ipsius laboris utilitas. Sed & navigantibus longa serenitas spem pollicetur: navis valida & diuturna tempestas.

Secemur ergo nos mulierculas, sexus nos doceat infirmior. Quanta divitiis pariter ac nobilitate pollentes (nolo earum vocabula dicere, ne videar adulari) relictiis facultatibus, pignoribusque contemptis, hoc factu facile judicant, quod tu putas proprio timore difficile? Unde habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & serpenitatis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat in vicio, vel decipere, vel decipi posse Christianum. At illa tibi ad hoc de variis floribus lumen exoriet. Coluber ad bibendum veniens, in aqua venenum deponit: ne eum venenum aqua concretum occidat. Nudum hominem timet: caput tamen suum caelat quando percucitur, ubi scit esse mortem suam. Serpens quidem si calamo percucitur, moritur: si vero iterum percucitur confirmatur. Hiemali tempore infirmior efficitur: & à foricibus devincitur. Igitur ante hyemem circa se segetes colligit: ut illis escam præbeat.

Anguis quando senuerit, perdit aspectum: & si voluerit redire ad juventutem, jejunat quadraginta diebus ut laxetur pellis ejus: & sic angustum foramen perquirat: ut dum nititur inde exire, pellem senectutis dimittat. Pellicani cum suos à serpente filios mortuos inveniunt, lugent: & se & sua latera percuciant: & sanguine exculso ad corpora mortuorum sic reviviscunt. Aquila quoque cum senuerit, gravantur ejus pennæ & oculi: & querit fontem, & erigit pennas, & colligit in se calorem: & sic oculi ejus sanantur, & in fontem ter se mergit: & ita ad juventutem redit.

Multa dicuntur in scripturis, quæ videntur impossibilia: & tamen vera sunt. Nihil enim dicas impossibile, ubi est virtus altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites: ubi plenitudo adest deitatis. Sed quid te ad jugum Domini præsentis vite provocare exemplis conor: cum nullum penè sciamus fuisse sanctorum: qui procellosum hujus temporis agonem, absque tribulatione & tempestate transtulerit? Sic etenim bellator vulneris dolorem aut contemnit aut nescit, dum vivacitatis sensibus solam videtur cogitare victoriam. Et qui hyemis tempore vadit ad balnea: prius asperitatem frigoris nudus patienter excipit, quia eum futura calefactio consolatur: omniumque creaturarum difficile propter Deum exultatio aliqua nisi merore præeunte succedit. Sit ergo in nobis tanta futurorum fides: ut admodum non sentiamus nos illa sustinere quæ patimur: sed ea potius arbitremur nos obtinere quæ credimus.

Quanta autem apud Deum merces, si in præsentis homines pretium non sperarent? Quantis sudoribus hereditas casta expeditur? minori pretio margaritam Christi emi poterat. Finis militiae tuæ erit regnum non terræ & temporis, sed æternitatis & caeli. Nihil est filii quod possit, aut debea: præferri ei, qui est verus Dominus, & verus pater, & imperator æternus. Cui enim rectius vitam nostram impendimus, quam illi à quo ipsam accepimus: & cui eam debemus usque ad finem, quia ipsius beneficio vivimus? Unde si maluerimus Cæsari militare, quam Christo: postea non

A a

ad Christum, sed ad gehennam transferemur.

Igitur nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias præferre debemus: quia scriptum est: Præterit hujus mundi figura: Et, qui hunc mundum dilexerint, cum mundo peribunt. Illi ergo militemus: qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ: honorem regni cœlestis: divitias hereditatis suæ, & divinæ cognitionis consortium perenne largitur. Nam nullus rex terrenus, totius orbis Dominus est. Christus autem totius mundi rex est: quia omnia per Christum facta sunt. Et quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: talis violentia Deo grata est, quæ neminem concurrit, nullius damno nititur. In hanc rapinam manus tuas mitte, quæ crimen non habet, & confert salutem. Sollicitudines enim nostræ carnales, quanto chariores sunt: tanto plus nos discruciant & fatigant. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus ita requiescat animus, ut cruciati careat: dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu: aut malas odit cum amittendi voto: in utroque sustinendis miseris semper obnoxius est. Commuta ergo in melius vitam tuam: ut æterno Deo incipias militare, & Deum habeas protectorem. Sunt tamen multi qui non metu pœnarum: sed benedictionum & reprobationum desiderio veniunt ad salutem. Nihil enim est dignius, quam ut homo sit auctoris imitator, & secundum modum propriæ voluntatis, divini sit operis executor. Nam qui edere vult nucleum, frangat nucem. Apostolus ait: Rectius enim fuerat hominem subfite conjugium, & ambulasse per plana, quam auctiora tendentem, in profundum inferni cadere.

De laude & detractione vitanda, & periculis hujus vitæ.

NON credas laudatoribus tuis: imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes. Omnis falsa prædicatione lætatur lucra, & gloriam quærit humanam, ut per gloriam nascantur compendia. Laudent de esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia: adulator quippe blandus inimicus est: naturali ducimur malo. Adulatoribus nostris libenter favemus, quamquam nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat: tamen ad laudem suam intrinsecus anima lætatur. Sed veritas angulos non amat, nec quærit susurriones. Laus quippe justos cruciat, iniquos exultat: sed justos dum cruciat purgat: iniquos dum lætatur, reprobos monstrat.

Nulli detrahas: nec in eo te sanctum putes, si ceteros la-ceras. Accusamus sæpe quod facimus, & contra nosmetipsos disertis, in nostra vita invehimur, muti de eloquentibus judicantis. Nunquam hujuscemodi hominibus appliceris: ne declines cor tuum in verba malitiæ, & audias: Sedens adversus fratrem tuum loquebaris: & adversum filium matris tuæ ponebas scandalum. Et apertius in Ecclesiaste: Sicut mordet serpens in silentio, sic & qui fratri suo in occulto detrahit. Sed dicit: ipse non detraho: aliis loquentibus, quid facere possum? Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendunt. Christus arte non deludatur: nequaquam mea, sed Apostoli sententia est: Nolite errare, Deus non iridetur: ille in corde, nos videmus in facie.

Salomon loquitur in Proverbis: Ventus Aquilo dissipat nubes, & vultus tristis linguas detrahentium. Sicut enim sagitta si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat vulnerantem: juxta illud: Facti sunt mihi in arcum pravum. Et alibi: Qui mittit in altum lapidem, recidit in caput ejus: ita detractor, cum tristem viderit faciem audientis: imò non audientis quidem, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis: ilico conticefeit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur. Unde idem vir sapiens: Cum detractoribus, inquit, ne miscaris: quoniam repente veniet perditio eorum: & ruinam utriusque quis novit? tam scilicet ejus qui loquitur, quam illius qui audit loquentem. Et Timotheo dicitur: Adversus presbyterum accusationem ne acciperis. Peccantem autem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant. Non est facile de perfecta ætate credendum: quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Si me igitur vis corrigi delinquentem, apertè increpa: tantum occultè ne mordeas. Corripet me iustus in misericordia & increpabit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Nam in comparatione duorum malorum, levius malum est apertè peccare, quam simulare & fingere sanctitatem.

Quid vulneribus tuis prodest, si ego fuero vulneratus?

an solatium percussi est amicum secum videre morientem? Quid enim mihi prodest, si aliis mala mea referas? Me nesciente, peccatis meis, imò detractoribus tuis alium vulneres: & cum certatim omnibus narres, sic singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? Hoc non est me emendare, sed vitio tuo satisfacere. Præcepit enim Dominus peccantes interdum arguere debere secreto, vel adhibito teste: Et si audire noluerint, referri ad Ecclesiam, habendosque in malo pertinaces, quasi ethnicos & publicanos. Nam ingenia liberaliter educata, facilius verecundia quam metus superat: & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor: licet multo melius est timore pœnarum emendare peccata, quam spe prosperorum divinæ subjacere sententiæ. Qui enim non fenerit Deum per beneficia, sentiet per supplicia.

Cæterum, grande peccatum est odisse corripientem: maxime si te non odio, sed amore corripit. Contra nos autem omnis consonat chorus, & latrant univèrsa subsellia: junguntur & nostri ordinis, qui & roduntur & rodunt: adversum nos loquaces, pro se muti, quasi ipsi alii sint quam monachi. Et non quidquid in monachos dicitur, redundat in clericos, qui patres sunt monachorum. Detrimentum peccatis pastoris ignominia est: sicut è regione illius monachi vita laudanda est, qui venerationi habet sacerdotem Christi: & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. Nam quando & inimicis præbemus beneficia, ipsorum malitiam nostra bonitate superamus: & mollimus duritiam: & iratum animum ad benevolentiam flectimus.

Sed nec ille absque invidia infectione esse poterit, qui soli Deo placere gesticit: Invidia enim non tam humanas amicitias quam solam justitiam persequitur. Qui invidus est, aliena felicitate torquetur: quoniam virtus semper invidia patet. Difficile quoque evadit opprobria, cui est amica justitia: imò si quis pie vivere voluerit, iniqui protinus irrisione blasphemant. Hæc quoque est consuetudo detrahentis, ut malum suum semper velit negando geminare: & dicere, aut non fecisse quod fecit, aut bono operatum zelo. Nil mirum ergo si contra me parvum homunculum immunda sues grunniunt, & pedibus margaritas conculcant: meque procul ab urbibus, foro, litibus, turbisque remotum, sicque latentem reperit invidia. Tantum enim me diligunt hæretici, quod sine me esse non possunt. Omittant personam, rebus tantum & criminibus est respondentium.

Nihil causæ prodest maledicentibus maledicere, & adversarios talione mordere: cum præceptum sit, malum pro malo non reddi: unde non de adversario victoriam, sed contra mendacium quærimus veritatem. Sed nec timeamus odia subire quorundam. Non enim hominibus debemus placere, sed Deo. At scitote me nunquam hæreticis pepercesse, sed omni studio peregrisse, ut hostes Ecclesiæ, mei fierent hostes. Unde meam injuriam patienter tuli: impietatem contra Deum ferre non potui. Latrant canes pro Dominis suis: tu non vis me latrare pro Christo? Falsus rumor cito opprimetur: & vita posterior iudicat de priore. Fieri quidem non potest: ut absque morfu hominum, vitæ hujus curricula quis pertranseat.

Malorumque solatium est, bonos carere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit: & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Nam si ante anno præterito fama mentita est: aut si certè verum dixit: cesset vicium, cessabit & rumor. Prima namque virtus monachi est, contemnere hominum iudicia. Igitur non timebo hominum iudicium, habiturus iudicem meum. Cupiunt enim vicini non suam, sed alienam discutere vitam. Sed qui amicus est, etiam prava recta iudicat. Inventi sunt enim sciolitanti ad detrahendum, qui eo se doctos ostentare volunt, si cunctorum vitam lacerent. Sed nihil Deo clausum est, & tenebræ lucent apud eum.

Fuge tamen eos in quibus potest malæ conversationis esse suspicio, nec paratum habeas illud: Sufficit mihi conscientia mea: non curo quid de me loquantur homines. Certè Apostolus providebat bona: non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus: ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus: nec volebat se iudicari ab infideli conscientia: Si scandalizat, inquit, esca fratrem: in æternum carnem non manducabo. Tolle igitur occasionem, volentibus occasionem. Nam castigare videtur alium, quisquis ab ejus conversatione dissentit.

Sic & nos in ista provincia ædificato monasterio, & diversorio propter extructo: ne forte & modo Joseph cum Maria Bethlehem veniens non inveniat hospitium: tantis de toto orbe confluentibus turbis obruiamur monachorum, ut nec ceptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus. Unde quia nobis illud de Evangelio contigit: ut futuræ turris non ante computaremus impensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere: ut semiratas villulas, quæ barbarorum manus effugerunt: & parentum communium ci-neres venderet: ne ceptum sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis & æmulis præbeamus.

Unde omnia plena periculis, omnia plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrunt. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium: inde sævit & odit, hic decipit officium: & facilius est vitare discordem, quam declinare fallacem. Sylva succrescit ut postea rescindatur: ideo ager seritur, ut metatur. Jam plenus est orbis terra: nos non capit, quotidie bella secanit, morbi subtrahunt, naufragia aborborant, & nihilominus detrahimus & litigamus.

Vides quoque in Ecclesiâ imperitissimos quosque flo-rc. Et quia nutriuntur frontis audaciam, & mobilitatem lingue consecuti sunt: dum non recogitant quid loquantur, prudentes se & eruditos arbitrantur: maxime si vulgi favorem habuerint, qui magis dictis levioribus commoventur. Et è contrario vides eruditum vitum in obscuro latere, & persecutiones pati, & non solum in populo gratiam non habere, sed inopia & egelitate tabescere. Hæc autem fiunt, quia non est hic meritorum retributio, sed in futuro.

De juramento, vindicta, mendacio, stultiloquio prohibendo.

DIXISTI enim, ni fallor, jure te mala malis reddere: & cum jurantibus jurare debere, quia aliquando juravit Dominus, aut mala malis restituit. Scio primum, non omnia nobis convenire servis, quæ Domino conveniunt: ne in comparatione famulorum, Domini videatur injuria. Alioquin forsitan reclamare incipimus: cur non è virginibus, sed de aliis mulieribus generamus? Aut cur mortui nostri tertia die non resurgunt? Juravit scio sæpe Dominus, qui nos jurare prohibuit. Nec istam ex hoc temerè blasphemare debemus eum, quod alios veterit Dominus quod ipse faciebat: quia dicit nobis potest: Juravit Dominus, quasi Dominus: quem jurare nemo prohibebat. Nobis quasi servis non licet, qui Domini nostri lege jurare vetamur.

Verum ne in ejus exemplo scandalum patiamur, ex quo tempore nos jurare noluit, nec ipse juravit. Et qualiter de juramenti causa brevi sermone satisfactum est: ita etiam ad vindictæ negocium hunc eundem sensum, facile prospicere posse sufficere: quia aliud est nunc tempus gratiæ, in quo plenitudo perfectionis advenit: aliud fuit legis, aliud prophetarum, dicente Domino: Audistis, quia dictum est antiquis, ne occiderent. Ego autem perfectiora præcipio, quæ in ordine Evangelii digesta, suo loco lector inveniet. Ex quo enim Filius Dei, filius hominis factus est: ex quo vetus fermentum Judicæ traditionis est factum nova conspersio, ex quo agnus non in figura, sed in veritate comeditur: ex quo secundum Apostolum vetera transierunt, & facta sunt omnia nova, ex quo iustum est imaginem terreni hominis deponere & assumere formam cœlestis: ex quo commortui sumus: ex quo virtutibus confurximus in Christo, jurare non dicis: menti sacrilegium putes.

Admonendi itaque sunt omnes, ut diligenter perjurium caveant: non solum in altari, seu sanctorum reliquiis, sed etiam in communi loquela. Omne enim quod non ædificat audientes, in periculum loquentium vertitur. Veritas quidem claudi & ligari potest, vinci non potest: quæ & suorum paucitate contenta est: & multitudine hostium non terretur. Possunt homines, quamvis iusti, aliqua simulare pro tempore, ob suam aliorumque salutem. Consideremus ergo quid loquamur: quia pro omni verbo otioso reddituri sumus rationem in die iudicii. Verbum quidem otiosum est, quod sine utilitate dicitur & audientis profertur. Stultiloquium autem æstimo non illorum tantum, qui aliqua turpia narant, unde risum movent, & fatuitate simulata, magis illudant illis quibus placere desiderant: sed etiam illorum qui prudent-

Tom. V.

ter sæculi putantur: & de rebus physicis disputantes, dicunt se arenas litorum, guttas Oceani, & cœlorum spatium, terræque punctum liquido comprehendisse.

De patientia, reconciliatione, & mortuis non legendis.

NUNC jam nobis de patientia, & ejus bonis loquendum est. Est igitur patientia omnium injuriarum & passio-num tolerantia: & expectationum omnium sine præcipitatione sufficientia: quam si quis intellexerit & habuerit, contraria vitæ gravia bajulat: bona omnia continet. Sororem habet spem, & affines ejus sunt res bonæ omnes: patitur enim libenter, quia sperat, sperando tolerat. Impatienter enim fertur quod non speratur. Omni autem virtute patientia perfert, quod spe præeunte dignoscitur: aut si spes fructus patientiæ subsequitur. Hæc matre gaudet fide, & gubernaculum habet Deum, conscientiam, genus, & propinquitatem: Inde gloriosi testes efficiuntur: dum fide pleni, dum Dei timore solliciti, dum continentis discipuli, dum filii spei, duce patientia reperiuntur. Deinde cohæredes Christi: dum illum usque ad mortem patientiæ virtutibus imitantur.

Unde tu passus injuriam taceas, iram vince patientia. Sanctus enim amor impatientiam non habet. Manifestudo namque nulla passione turbatur, & specialiter ira & furore non rumpitur: Quam qui habuerit, beatitudinem consequetur voce Domini promissam: ut terram possideat: id est, imperet & domineat corpori suo. Nulla enim res ita inebriat, ut animi perturbatio. Et tristitia quæ ducit ad mortem: est quedam ira quæ justitiam Dei non operatur, & furori proxima mentis suæ impotem facit: intantum ut labia tremant, dentes concrepent, vultus quoque pallore mutetur. Animi vera læticia interdum dolores corporis mitigat. Quod si ad agrotationem corporis accedat ægri-tudo animi, duplicatur infirmitas. Dicit quoque Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram.

Quid agemus in die iudicii, super quorum iram non unius diei: sed tantorum annorum sol testis occubuit? Igitur mitescat sævitia, manscescat iracundia, remittant sibi invicem culpas suas: nec sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ, Grandis offensa est, nolle placare offensum: quamquam affectus & perturbaciones, quandiu in tabernaculo hujus corporis habitamus & fragili carne circudamur, moderari & regere possumus, amputare non possumus. Ideo Psalmlista dicit: Irascimini & nolite peccare. Quia irasci hominis est, & finem iræ ponere, Christiani. Unde quidam ait: Jam te verberibus enecasset, nisi iratus essem. Inde enim iusti dicuntur, dum omnia opera patienter operantur.

Multo quoque melius est stomachum te dolere, quam mentem gressu vacillare, quam pudicitia: nec statim nobis penitentis remedia blandiantur: quæ sunt infelicitum remedia. Cavendum est vulnus quod dolore curatur: nec scire possumus agrotationis mala, nisi cum fuerit sanitas subsecuta: & quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant: clari-riusque sit lumen comparatione tenebrarum. Sed consideremus quid ethicus ille psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Hodie non potest dicere, nisi ille qui ad universa quæ patitur magnificat Dominum, & suo merito imputans in adversis de ejus clementia gloriatur. Necessè est enim, ut qui se credere dicit in Christo, in omnibus Christi iudiciis gaudeat, dicens: Sanus sum, gratias refero creatori. Languco, & in hoc laudo Domini voluntatem. Quando enim infirmor, tunc fortior sum: & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Nam fortitudo corporis, imbecillitas animæ est. Patitur & Apostolus aliquid quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur: sed dicitur ei: Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur: Cur igitur durum sit quod aliquando patiendum est?

Dolemus autem quemquam mortuum? Ad hoc enim nati sumus, ut maneamus æterni. Lugetur mortuus, sed ille quem tartarus devorat, in cujus pœna æternus ignis existat. Nam mors nostra peccatum est. Nos vero quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus Christus occurrat obviam: gravemur magis si in tabernaculo isto mortis habitemus. Cæterum nonne veteris, ne tibi salvator dicat: Irascens quia frater tuus, meus factus est filius? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis, facis injuriam possi-

A a ij